



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt XIX. S. Galli monasterium, apud Heluetios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT. XIX.

S. Galli monasterium, apud Heluetios.

S Galli siue Sangallensis Abbatia longè potentissima, quæ est sita intra muros vrbs Sangallensis, & totam ferè Turgoniam, Comitatumque Dockhenburgensem sub sua potestate habet, ædificari cœpta est, non Dagoberti Magni Galliarum Regis, vt aliqui nugantur, sed Sigiberti Austrasiæ Regis, & Fridbergæ coniugis eius, Conzonis vel Gunzonis Sueuorum Ducis, Vberlingæ tunc temporis ad lacum Acronium residentis filix (quam S. Gallus à dæmonio liberarat) impensis ac donationibus, anno circiter 630. ad S. Galli Scoti, Alemannorum Apostoli petitionem. Templum, quod hodie adhuc conspicitur pulcherrimum atque amplissimum, exstructum est anno 830. consecratum anno 836. ab Hunnis vastatum ac spoliatum anno Christi 937. Hæc Abbatia postea ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus ac Baronibus multis, in primis verò ab Hedovvige Comitissa de Eberstein, Imperatoris Henrici Aucupis filia, ita est locupletata & aucta, vt aluerit olim Canonicos 150. & Abbas Sangallensis legatur mille equitum comitatu Argontinam esse ingressus anno Christi 1361. cum Vvalterus Baro à Gerolczech in Episcopum Argentinensem electus introdu-

ceretur. Dedit hoc monasterium toti Germaniæ multos eruditos homines, multosque Episcopos Constantienses, ac varijs Germaniæ monasterijs Abbates: & dicitur habere nobilissimam (studio & industria monachorum) optimorumque codicum multitudine refertissimam bibliothecam. Oppidum ipsum Sangallense annos ante quingentos fossis & mœnibus muniri cœpit: estque nunc Rhætorum siue Heluetiorum ortopagensium societati & confederationi coniunctum, fuit autem S. Gallus, natione Scotus, S. Columbani discipulus, Brigantinorum & Arbonensium Apostolus, obiitque anno 640. Arbonæ (quod præclarum hodie est oppidum ad lacum Acronium è regione Morsenburgi in littore Heluetico situm) sepultus. Ita ferè Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ.

In S. Galli monasterio vixerunt quàm plurimi Abbates ac monachi, sanctitatis opinione illustres, quorum corpora hodieque ibidem observantur.

